

Principia omnium Stoici posuere Deum, & materiam, Deum autem dixerunt esse ignem per rerum generationes ratione quadam precedentem, vt testatur Galenus in lib. de hist. Phil. & materiam, vt existimare licet, intellexerunt Terram, quæ omnibus supponitur generabilibus. Empedocles verò, & si quatuor posuit prima corporea, duobus tamen vsus est contrarijs circa illorum generationes licet. s. & amicitia, quæ quidem sunt congregatio, & disgregatio, quarum quælibet altera à calore fit, altera à frigore, calor enim omnia disgregat, & generat, frigus congregat, & caloris opera vastat, & sic vbi Sol oppugnat Terram ibi lis, & generatio; vbi ipsa restauratur amicitia est, & corruptio. Democritus insinua-  
 uit solidum, & inane esse rerum primordia, per solidum autem terram intellexisse videtur, vel frigus omnia constringens, ac solidans, per inane rarum calum, quod propter inuisibilitatem esse videtur vacuum, quæcumq; enim summè corripit calor inuisibilia agit, & quasi inania, & ex mutuo congressu horum fortiri putauit materiam differentias figuræ positionis, & ordinis, vt testatur Arist. 8. met. t. 5. Anaxagoras chaos, hoc est materiam statuit principiū, & cū eo a maximāder, licet falsò alij eius interpretentur verba, ex qua omnia mens diuina eduxit per segregationem, & congregationem hoc est per opus caloris, & frigoris, nos enim, & Moyses sic descripsimus rerū principia, at postea ad particularium factiones non vritur mente Dei, nisi in prima actione vniuersali, & bene quidem quia Deus omnia in principio creauit semel, nunc autem à creatis principijs à segregante scilicet & congregante omnia generantur, & sub diuersis esse, & speciebus manifestantur. Quas obres non bene Socrates reprehendit Anaxag. in phædone Platonis, siquidem eodem modo describendi in Timæo vsus est Plato. Is enim propriè principia constituit Deum, & mentem eius, ac simulacrum diuinum, omnium Idæam, primò autem ipseus Dei imaginem, vnde processit Cælum, & Terra, ex quo idæa in anima mūdi propagatæ sunt, ex hac in natura, ex natura in materia, ad cuius transformationem Plato post hæc vtitur solo calore, & frigore cunctis differentiarum, magnitudinum, figurarumq; omiffam faciens mentem, sed his in elementis, appositis incumbens, humido, & sicco nō sæpè. Timæus verò conterraneus noster eadem dixit, quæ Plato, eius discipulus, & Hippo. alter Reghinus, calore vsus est, & frigore principijs, hunc ponens in igne, licet malè posuerit alterum, scilicet frigus in aqua Si qui verò posuerunt corpus vnum vt Tales aquā, & Heraditus, & Hippasius ignem, & Diogenes aerem diuinitate affectum, non negarunt contrarietatem principiorum per rarum enim, & densum omnia generabāt, significantes contrarias formas, vt dicit simplicius, Aristot. autem fatis dimitutè horum sententias profert. Hi enim inspicientes omnium formam esse calorem in tenui materia, præsertim in animalibus, aerem, vel ignem statuerunt principium informantium, sicut nos, non negantes  
 contra-